

GYMNASII ULMANI  
 SACRA SOLEMNIA,  
*Pro*  
 JUBILÆO SE-  
 CULARI LUTHE-  
 RANO, CELEBRATA.

*Primum, a. d. III. Non. Novembr. Anno  
 Nati Christi cIo Ioc XVII.*

PANEGYRICO,  
 De Megalandri Lutheri Ortu, Studijs, & Even-  
 tibus, vsque ad INDULGENTIAR. Papalium  
 Publ. expūgnationem:

*Iterum, Prid. Non. Novembr.*

ORATIONE,  
 De Barbarieliteraria, per Elegantiam cum Ev-  
 angelio renascentem, profligata:

Nec non de Scholæ Ulmanæ R E C T O R I B U S.

*Peragebantur omnia festi- viter, in Æde S. Scholæ  
 contigua: verba facientibus,*

M. Joh. Bapt. Hebenstreitt, August<sup>o</sup>, Rectore.  
 M. Joh. Philippo Ebelic, Giessensi, Conrectore.

*Exscripta.*

Typis JOHANNIS MEDERI, Anno demum  
 cIo Ioc XIIIX.





VIRIS NOBILITATE GENTIS, PRU-  
*dentia, officijque amplitudine Spectatis.*  
D N N N.

JOH. CHRISTOPHORO VOEHLINO,  
SEBASTIANO ANTONIO NEIDT-  
HARTO,

JOH. HENRICO GIENGERO,

*Inchyæ Reip. Ulmanæ*


SENATORIBUS, ÆDILIBUS, ET

Proto-Scholarchis dignissimis,

DOMINIS, ET FAVORIBVS MAGNIS,

*perpetuâ observantiâ colendis,*

E Y H P A T T E I N.



Ostram quoque SACRI  
SECVLARIS opellam in publi-  
co evolvi nō pugnāmus. Quan-  
quam autem ex Prologo quo-  
dam Claudiani (in quo vno, tan-  
quam prægloriosissimo Poëta,  
& Virgilij mentem, & Homeri  
Musam habitasse, doctissimi Imperatores, Arcadius &  
Honorius testati sunt) prurientes istos libellos nostros  
hunc in modum increpare possemus:

) ( 2

*Aude-*

## D E D I C A T I O.

*Audebisne, precor, doctæ subiecta catervæ  
Inter tot proceres nostra Thalia loqui?*

Quid faciamus tamen? Non tam nostra interest, quid in Schola geratur, gestumque in Templo Monetæ filiar. affigatur, quàm etiam vestra, Viri Nobilissimi, Amplissimi, Domini & Patroni ætatè observandi. Percepto itaque, placere vobis, vt, quæ verba fecissemus in Scholica Panegyri, eadem non *περὸν* & fugitiva haberentur, sed Chalcothetarum operâ immortalitati consecrarentur: illicò nos invasit cupiditas quædam nec inhonesta, nec illiberalis, & tacitum quoddam gaudium, quo perfusi sensimus: & vestræ Amplitudini, & Gymnasio nostro indies crescenti, & nobismetipsis, & deniq; quod tamen in postremis haud ponendum, Communitati Fidem eandem profitemium non nihil, quod operæ præstet precium, accidere posse. Etenim, vt proxima primùm attingamus, quid jucundius cogitari potest; quid optabilius, aut magis necessarium videri; quàm *ὁμοπίστες, καὶ σιωπολογεῖνταις*, in rebus gravissimis, quæque vnâ viri ætate, vix iteratò peragi possunt, esse *ὁμοψήφες*, & omninò, *ὡς θεολογεῖν*, vno eodemq; duci DEI Spiritu? Atqui ULMAM, felicem illam *ἐν θεῷ* Remp. ijsdem sacrorum curis, præcipuè JUBILÆI LUTHERANI, distentam fuisse, quibus alios plurimos Sacratissimi Rom. Imperij Status & Ordines, etsi velut ignotum nullius invidiâ poterat

## D E D I C A T I O .

terat obscurari; notius tamen erit, & tantum non perennabit, quod publicis insuper literarum monumentis intimatum, ab infinita mortalium multitudine avidissimè arripietur, religioseque asservabitur. Vivent ergo, quæ in Summo apud nos Templo, quæ in Xenodochiali, Venerandis ab Ecclesiasticis, concionibus confertissimis; Vivent, quæ in Æde S. Gymnasio nostro contigua, à Scholasticæ militiæ Præfectis, inter sexcentos plus minus Classicos pueros & adolescentes pronuntiata intonuerunt. Ex quo perspicuum esse potest; in societatem laudis, quam Reip. nostræ celebratissimæ Corpus, indictis; habitisque JUBILÆI solemnibus, affectum est, venire quoque SCHOLAM, membrum haud infimæ æstimationis, immò peculium utilitatis ingentis, & cum SCHOLA nosmet ipsos.

Præterea, quòd pennâ, vt Flacci componamus lexes, non vsitatâ nec tenui, sed illâ, publicæ Famæ quæ inservit, evehimur, vestrum est, Patroni, vestrum, dicimus, est totum. Neque adeò mirum. Quâ enim aliâs pietate, humanitate, fide, studioque in rem literariam estis, facitis, vt indies affectus vester erga Scholam nostram, immò vestram, erga nos item, clientes vestros, innovetur. Gymnasij sanè substructionem, contignationes illas, Musæa & Odæa illa, intra quæ tenera ætas ad virtutem & liberalem eruditionem informatur, videmini vos delegisse, ad quæ eleganter

## D E D I C A T I O.

amplificanda omnes cogitationes vestras afferretis. Loquetur hoc, præter duas classes, quar. exædificationem proximis annis locastis, AUDITORIUM, quod cùm situ amoenissimum est, tum opere nec Academico alicui Phrontisterio concesserit. Tantam virtutem prædicabimus nos: prædicabunt magno numero pueri & adolescentuli, qui munificarum vestrar. testes extabunt largitionum coram Deo, & hominibus.

Verùm ne palpum videamur obtrudere vestro candori, differemus debitam tantis meritis expositionem copiosiore in tempus commodius. Vnicum hoc interea optamus evenire, vt dies illucescat, qua in arena magni alicujus spectaculi, testibus vniversis Pietatis & Eruditionis cultoribus, cothurnati nos statuum vestræ Pietati erigamus, cum inscriptione, ex istis Horatianis leviter immutatis, desumendâ:

*Ereptum stygiis fluctibus Aeacum  
Virtus, & favor, & lingua potentium  
Vatum divitibus consecrat Insulis.  
Dignos laude viros Musa vetat mori:  
Cælo Musa beat.*

Interea præcurrere cupimus Syntagmata illa nostra, Poëma & Orationem: quæ Opuscula, velut autores ipsi, patrocinio vestro splendido illo & munificentissimo protegi avent. Poterant, quod suprâ innuimus, quemadmodum apud Romanos Senatorum nonnulli, in

## DEDICATIO.


li, in Præteritis haberi: Verùm ad editionem tandem aliquando maturandam suffragia prærogativa, cùm illæ, quas indigitavimus causæ, tum multor. bonorum, quod citra jactantiam fatemur, continua flagitia, impertiverunt. Evolet igitur hoc quicquid est operæ! Vos ab Invidiæ flagris tutum præstabitis: nostram observantiam gratam habebitis: res Scholæ dignitatemque, salutem item nostram amplificare pergetis. Quod vt possitis, Viri Nob. Amplifs. Patroni perpetuo studio colendi, faxit is, cui JUBILÆUM nostrū principaliter sacrum voluimus, DEUS Trin-vnus, in secula benedicendus. Dabamus ipso B. Michaëlis Festo, Anno à *γιοσίως* Lutheranorum JUBILÆO, primo.

*V. Amplifs. Dignit.*

*Obnoxij*

M. Joh. Baptista Hebenstreitt,  
Augustanus, Rector.

M. Joh. Philippus Ebelius,  
Gießensis, Corrector.



Pro PLAVSV,

Super GYMNASIO ULMENSI, felicissimis incrementis indies augete.

**U**lma solum patriæ, cultrix operosa bonorum,  
Qualia vis Parca nulla potest premere:  
Quo tot successus, tot amici munera Patris  
Exponi censes posse sat eloquio:  
Tu quibus ornatis quantumlibet Urbibus una  
Pulcror ad cæli culmina pandis iter?  
Multa lubens taceo. Tua quid Schola parturit illa,  
Quid tuus ingenij nobilioris Ager?  
Promit, quæ multum præsens & postera seruet  
Ætas, ac punctis approbet acta suis.  
Jam tibi septemplex palmam pænè offeret Ister,  
Mœnia cum donis qui tua mirus amat.  
Crescet tui, Patria alma, memor! sine crescere juxta  
Nomina, Virtutes quæ coluere tuas.

Joh. Henisius Phil. & Med. D.

Poëta Cæsar, Patriæq; Phys. Ordinarius.

PANEGYRICON,  
PRO  
JUBILÆO  
SECULARI  
LUTHERANO;

DE MEGALANDRI LUTHERI  
*Ortu, Studijs, & Eventibus, usque ad  
INDULGENTIAR. Papalium Publ.  
expugnationem.*

DICTUM à

M. JOHAN. BAPTISTA HEBEN-  
STREITT Augustano, Gymnasij Ulmani Re-  
ctore, in Festiva illius celebritate:

*a. d. III. Non. Novembr. Anno clō. Ioc XVII.*



ULMÆ, TYPIS JOHANNIS MEDERI,  

---

M. DC. XVIII.





Viris Nobilitate Gentis, Prudentia, Offi-  
cijque amplitudine spectatissimis,  
DNNN.

JOH. CHRISTOPHORO VOEHLINO,  
SEBAST. ANTONIO NEIDTHARTO,  
JOH. HENRICO GIENGERO;

*Inclytæ Reip. Ulmanæ*

SENATORIBUS, ÆDILIBUS, ET  
PROTO-SCHOLARCHIS DIGNISS.

*Quodin Æde S. Scholæ contigua, festivâ celebra-  
tate peractum, auditumque fuit, hîc admini-  
culo Chalcographico immortalitati consecra-  
tum; veluti Fautoribus testibusque ampliss.*

quo par est reverentiæ gestu,

M. L. Q.

*Don. dan. deb. que*

OFFERT, & cætera,

*quantum potest,*

M. JOH. BAPTISTA HEBENSTREIT,  
Rector.

  
**PANEGYRICON PRO**  
**JUBILÆO SECULARI**  
**LUTHERANO.**



*Empora abhinc cētum quæ sol exegerit annis,*  
*Et caussas immensi operis, quod Numen amicitia*  
*Edidit, ut prisco tenebris ECCLESIA pulsus*  
*Lumine fulgeret, jussosq; imponeret aris,*  
*Quas Latius Præsul dirum fœderat, honores;*  
*Primaq; crescentis Fato ductante LUTHERI*

*Bella canam: tot contra acies qui strinxerit vnus*  
*Mucronem ignivomum Bibliorum cote politum.*  
*Vnde throno Pater Ausonius vexatus in alto*  
*Nutare occepit, postquam diadematis aurei*  
*Tactus apex, ventremq; ingesti vulneris estus:*  
*Invasit, quod adhuc sanie taboq; cruentum*  
*Totum adeo corpus famosâ labe fatigat.*

*CHRISTE fave: tua res agit ur: tuus ipse Minister*  
*Te duce tanta viri miracula carmine pandam.*  
*Nec, bonus Hannonijs pridem quam Lipsius Hallis,*  
*Extulit, Alma Parens; nec, quam Sichemia Quercus*  
*Scabro colle sui monumentum & pignus honoris*  
*Afferuit, mihi materies: sed viscere nostro*  
*Major agit Deus, & stimulos sub pectore condit.*

*Postquam res Magnicætus, quas vertere dudum*  
*Romuleus tentarat Apex, nil Numina Divum,*  
*Nil veritusq; Deum, nil Regum sceptrâ Potentum,*  
*Nil Augustorum fascès, nil Iura vel Æquum,*  
*Est visum solari aliqua, ne dira Tyrannis*  
*Omne extirparet sementam vile Piorum.*

Eph. 6. v. 17.  
 Apocal. 11. v. 5.  
 & ib. Chytra.  
 Saxon. Chytr. l. 8.  
 p. 216. Erasmus  
 ad Saxoniam E-  
 lect. non se mira-  
 ri inquit, odiorum  
 adversus Luthe-  
 rum acerbita-  
 tem: cum Mon-  
 chor. Ventres, &  
 Papæ Coronam  
 suis ille disputa-  
 tionib. attigisset.  
 Lips. D. Virg.  
 Hallens. c. 4. &  
 Aspricollis c. 3.

Vide de Anti-  
 christo Phil. Ni-  
 colai; Joach. Ur-  
 sini Speculum,  
 nec non D. Tile-  
 ni, &c. in primis  
 etiam Balcum,

*Et cursu impietas ad calcem venit anihelo :  
 Deerat adhuc, verum qui Religionis honorem  
 In multis vnus, quàm selectissimus vnus  
 Vindicijs captis, armatus cœlitus, iret  
 Ritè instauratum, velut ille immanis Elias.  
 Lux oritur tandem, quam succidanea tangunt  
 Festa Turonensis Martini Præfulis ejus,  
 Qui Paganorum simulacra attriuit, Arij  
 Adversus squamis : atq; in juvenilibus annis  
 Miles munifica discerpit pallia dextræ,  
 Vestivitq; hominem, quem fors spoliarat amictu :  
 Annus erat, Christi à Cunis, post mille quaterq;  
 Centenorum orbis versos, & lustra bis octo  
 Tertius, egreditur superas Martinus in oras  
 Gente LUTHERORVM natus : quos nobilis ortus  
 Non equidem in summis posuit, neq; divite censu  
 Dotavit fortuna. Deus mediocriâ dexter  
 Sublevat : imò humili titubantes pulvere firmat :  
 Contra terrifico diffundit fulmine pinus,  
 Si qua sub ætherias temerè surrexerit auras.  
 Lutheris sedes patrita ISLEBIA, quondam  
 Nobilis Hermanno, qui rex porraceus hosti  
 Dictus erat : qua dives opum tellure latentum,  
 Se Mansfeldiaco letam diffundit in agro :  
 Clara nimis tanto, quem nunc laudamus alumno.  
 Quid tum, si torvum videant vel Dresda, vel ipsa  
 Lipsia, vel plures, titulus queis grandior, arces ?  
 Celsius Islebia nomen tamen eminent inter  
 Cætera, ut arbutis præit ambitiosa Cupressus.  
 Ceu fertur Verona suo debere Catullo,  
 Quantum Virgilio lambens vada Mantua MinCI :  
 Tantum etiam magno debes Islebia civi :  
 Præquam Dresda altis & prægnans Lipsia cirris.*

Dresser.de  
Festis,p.138.

Nasc.Lutherus,  
10. Novemb.  
paulò ante med.  
noctem, prid.  
Martini, ineunte  
feriâ tertiâ, patre  
Iohanne, Matre  
Margareta. Seth.  
Calvis. Chronol.  
pag. 926.

Pfal. 113.

Vide Atlant. mi-  
nor. Hondj. pag.  
431. Bertium l. 3.  
rer. Germ. p. 521.  
Seth Calvis. A.  
Chr. 1082. ex  
Vrsperg. Knob-  
lauch König.

Ergo puer patrijs assuescit moribus vltro,  
 Perq; schola, cursor spacia indefessus eundo  
 Paulatim crescit: Pietas comitatur euntem,  
 Et pudor, & nivea divina Modestia fronte.  
 Inde ad Parthenium, prima incunabula linquens,  
 Contendit Pyrgum, postquam lex scansilis esset  
 Iam semel atq; iterum vita, per momina septem  
 Exacta annorum, Patrio lare missus amatas,  
 Gustatasq; semel querit non segniter artes.  
 Salve Vrbs magna viris, cui nec fors, nec ferus hostis  
 Virgineum eripuit florem! sic secla rotatu  
 Prolixo ventura, suis transcripta tabellis  
 Gestata adpingant: Et, qui te parvula, nec dum  
 Illustris Lutheri etas suspexerit, addant.  
 Nescia forvisti magni Patris incrementum:  
 Atq; utinam nosse! non panis noster Elias  
 Ante fores passim micas prece collegisset,  
 Aeris inops: fartus nec jure quiesset ab atro.  
 Forte DEI verbo latratum mitigat ille  
 Exhausti ventris: praesto si cetera, verum est.  
 Corporis ast animaeq; cibus pulcerrimus ille est,  
 Qui mentem caelo servat, reficitq; labori  
 Ingenuo, & luxum quam longè abscedere cogit.  
 Non tamen intumuit, postquam sudavit & asit,  
 Evectus Lutherus: at insuper è penore almo  
 Caelorum Regni segetes invexit opimas  
 Magdeburga, tibe. Duodena ubi sidera Phæbe  
 Signiferi absolvit, matris cognata salutat.  
 Tecta ISENACI: totos ibi quatuor annos  
 Degit, in Aonijs consumens ocia chartis.  
 Sic vsq; huc scholicis exercebatur in umbris.  
 Iamq; adolescenti, teneris cum excessit ephæbis,

Anno æt. 14.  
 Chri. 1497.

cc  
 cc  
 cc  
 cc  
 cc

Anno nîm. 1524.  
 Chytr. l. 10. Sa-  
 xon. p. 449.

Anno æt. 20.  
Chr. 1503.  
Bert. l. 3. rer.  
Germanic. p. 527.

*Auris inhorrescit, majora ad prælia vires  
Sufficere; & Phæbo maturum & grandibus ausis.  
Itur ad ERFURTUM, quæ sunt antiqua Thuringum,  
Mœnia; & ampla situ, & campani nobilis aris  
Machina, bis septem cubitos & sesqui-quadrantem  
Circuitu complexa suo: sed & vrbe Camœna  
Consedère illa, celebresq; fuère. Lutherus  
Substitit hic, & Philosophis dictata cathedris  
Imbuit auditor solers, ad qualibet acer  
Officia, & studiis tribuens insomnibus horas.  
Mira cano: nondum res libera, volvere Mosis  
Scripta, Prophetarum monumenta, vel ardua Pauli  
Tradita perpetua semper dignissima vitâ:  
Pleraq; tum cæco tenebrarum carcere clausa,  
Et nimio contexta situ, & squalore latebant.  
Tunc neglectus erat: sed nunc quoq; lege premuntur;  
Nec cui vis impudè obtingit adire fluentia  
Sacra: [Quid est porro, si non hoc, dira Tyrannis?]  
Obtigit at nostro. Proh! quàm reverenter adorat.  
Sensa sacra Philura! quanta hinc solatia carpit!  
Auree sancte Liber, qua nunquam audita, reponis:  
Non hic humana ratione extusa tepefcunt  
Dogmata, post vultus varianda per infinitos.  
Non hic Dadalea argumenta, ignobilis ocI  
Mirabor fructus: sed, qua virtute perennant  
Pabula, & unde status gliscit cælestis origo.  
O mihi tam longè mane at pars postuma vitæ,  
Spiritus &, quantum sat erit cognoscere fundum  
Regalem, de sacra opulentaq; scrinia vena!  
Hic vivi latices, hic unda scaturit aquas;  
Ebrius hinc fuero, & distentus nectare dio,  
Tum spernam illa ævi ludibria, vivere ponam.*

Vide Antithes.  
doctrinæ Petri &  
Pontificis R.  
Phil. Hailbr. D.

Sic ait: Elkanaq; legit qua dixerit Hanna,  
 Cum socia propter sterilem contemptior alvum.  
 Fecisset sua vota Deo, votisq; beata  
 Solveret in meritis plenissima guttura laudes.  
 Tu Pater attonitas validus demittis ad umbras,  
 Quos lubitum est: iterum damnatas morte cetervas  
 Vis revocare gradum, superasq; evadere ad oras,  
 Tu modò divitias cumulo mortalibus agris  
 Aggeris immenso, minuis modò rursus acervos,  
 Horreaq; aggestis spoliis turgentia granis.  
 Tu modò das Epulis magnorum accumbere Regum,  
 Immodò concilias fasces, & sceptras superba.  
 Quiq; modò in sicca solus spaciatur arena,  
 Exul, inops, erro, tum Praesidij omnis egenis:  
 Illicet hunc magna cingis stipante ceterva.  
 Rursus purpureâ deturbas turgida sellâ  
 Corda virum. Sic Hanna canit: sic noster anhelus  
 Arripit, & firmo fulcit solamine pectus.  
 Sum, fateor, semperq; fui pauperrimus, infit;  
 At pater ille etiam rebus succurret egenis:  
 His sacram telis conserferat ille Pharetram.  
 Protinus invadit nequicquam tale caventem  
 Morbificus Languor: depascitur atra medullam  
 Ate, non vultu remanet decor, aut color ullus,  
 Presentem juveni minitantur at omnia mortem.  
 Cum fuit eximius quidam, qui affatus amicum  
 Compulsus casu, jam deficientia sensum  
 Corda levat: Qua te letho mala terret Erinnyis?  
 Nondum hinc Fata vocant, Fili: dimitte timorem.  
 Est Deus, est medio qui te revocabit ab Orco.  
 Quid tremis, aut levo afflatus quasi sidere torpes?  
 Ipse tuis, nate, exemplis multa obruta Averno

Corda feres sursum, atq; animos reparabis Olympo.  
 Audis hanc vocem miser, & mirabile dictu,  
 Illicet in corde, atq; omnes diffusa per artus  
 Robora, vimq; novam latus revalescere sentit.  
 Hinc suspensa petit peracuto munia morbo,  
 In Circoq; suos cursus meditatatur, athleta  
 Strenuus & lingua, precibusq; elidere cordis.  
 Nec prius absistit, quam cuncta obstacula sepis  
 Philosophæ perrumpat: & hinc penita atria lustrans  
 Victor ovet, merita capiens rata munera laudis.  
 Ergo Magistrorum tribus hunc sibi clara cooptat.  
 Mox heu! turbatus tonitru cum fulminis ictu  
 Flammi vomo, & multum de amati cæde sodalis,  
 Obstupuit, steteruntq; comæ. Via prima salutis  
 Arbitrio proprii subito sic lecta cerebri,  
 Visa fuga est: suscepta fuga est ad te qua sequentum,  
 Augustine, tuam (num rectè, nescio:) Eremum.  
 Sic mente obfirmatus abit, sortisq; futura  
 Nescius, in nova se demens discrimina mittit.  
 Acceptaq; dataq; fide nam trusus ab arce  
 Libertatis agit, seroq; amissa reposcit.  
 Et qui succissa optabat radice veterro,  
 Excolere ingenij vires, doctamq; Minervam,  
 Momenta & fragilis meditando naviter evi  
 Pendere ad examen pulcris profectibus aptum:  
 Proh! quanta spe frustratur! Doctissimus ille  
 Grex Fratrum Fratrem quàm mollibus excipit vlnis!  
 Quo mediastinus, quo lixa infamis habetur,  
 Quo rudis ædituens, etiam scoparius, illo  
 Cogitur esse loco: Soli quoq; dirigit ipsi  
 Horarum motus: immò parasitus in urbe  
 Ambulat, ova rogans, tenuis primordia cæna:

Anno 1505.

Lutherus ingre-  
 ditur Monasteri-  
 um Erfurti, 17.  
 Julij. anno at. 22.  
 Calvis. p. 935.

Salgama, Neptunum, Cererem, carnesq; miscellus  
 Colligit, atq; nuces, obolosq; & adorea liba.  
 O ventres Monachi, qui nunc passim ostia pulsant  
 Mendicis, vestro impulsu, neu temnite Divum!  
 Tempus erit, quum longè alio splendore coruscans  
 Aetheria pietate famem fortuq; domabit:  
 Quem vos inviti partim, sed calite nutu  
 Sordibus extractum, vestraq; videbitis ulvâ.  
 Pertulit hæc, donèc Monachum se ritè professus  
 Induit hoc animal, cui mira fenestra culullus.  
 Hic olim visum dextra versare diurna,  
 Nocturnaq; librum multa prece gèstit amator,  
 Menti ubi concussa frigus captaret amicum:  
 Sed pingues, nitidiq; Epicuri de grege porci  
 Longè arcent: contra Labyrinthis scripta probabant  
 Irremeabilibus, Cadmeo profata dente.  
 Non vigor hinc Biblico manans ex fonte, nec almi  
 Planities campi: verùm lapis omnia nudus,  
 Limosq; palus obduxit pascua junco.  
 Ergo novo reperit tristis fomenta dolori:  
 Pungitur, & medijs paliuri in sentibus errat:  
 Iamq; caput vitæ, fiducia corde vacillat.  
 At senior quidam, ut vidit mærore gravatum,  
 Parce metu, pie nate, inquit: quid culmine sudas  
 Asperiore miser? planâ recreabere valle.  
 Nempe Deum non huic solam, non largiùs illi  
 Esse bonum, fâustumq; putes: tibi deniq; dextrum.  
 Crede, tibi: quin crede: Fide servabere justus.  
 Paruit huic monito: dum parer, alacriùs instat,  
 Volvendo quicquid curas leniret, & alta  
 Radices ageret pro cælis mente repostum.  
 Parturit interea FRIDERICH I spiritus ingens:

B

Anno 1502.  
 Chytr. l. 5. Saxon.  
 P. 123.  
 Electo-



*Electoris opus : sedem meditatatur amenam,  
 Omnigenis studijs. Fundamina prima locantur,  
 Orbita cum solis remeasset lata secundum,  
 Post decimum Christi est quintum memorabile seculum.  
 Ecce in M O N T E - A L B O rutilans Academia surgit,  
 Primus ubi Rector duxit Martinus habenas*

Martinus Polichius : de quo  
 Chytr. Saxon. vt  
 supra.

*P O L I C H I U S, qui lux mundi laudatur, vt omnem  
 Qui Sacris partem etatis Themidiq; dicasset,  
 Atq; Machaoniam Phœbi coluisset alumnam,  
 De tribus vnus orans Gradibus. Vix sufficit vni  
 Nostra brevi in stadio penuria vilis Agoni.  
 At tu cresce ferax Academia, cresce novelle  
 Aonidum collis ! mox hospita tecta subibit,  
 Qui prius obscura stabat ceu verna catasta,  
 Pastor ; ibi incipient magni decurrere soles ;  
 Aurea tunc atas gens surget est aurea mundo ;  
 Verus ab integro Doctrina adamabitur ordo.*

De diebus Angelicis vide Chytr.  
 in Apocal. &  
 Reufneri Chronol. ex Phil. Nicolai.

*Ergo S T A V P I C I U S rigidus Germanidos ore  
 Claustrorum Inspector, placito qua vivere discunt  
 Augustine, tuo, vir Magnus, alacriter urget  
 Adventus Luthere tuos ; sed est ipse Lycej  
 Mecenas dudum votivis destinat aris,*

Anno 1519.  
 Chytr. l. 8. Saxon.  
 p. 204.

*Fridrichus Sapiens : K A R V L O qui cessit Ibero  
 Imperium augustum, postquam sua stamina Primus  
 Maximus - Aemilius, communi lege peremptus,  
 Suspendit satis, est jam concordibus vnus  
 Saxo Electorum punctis Rex esse negasset.  
 Muneris ille memor P A T R I S dignatur honore  
 Nominibusq; Ducem, quem cautaperitia rerum  
 Insigni ante alios cum laude aqua verat astris.  
 Noster ab Erfurto volitans contendit ad Albim  
 Legitimo accensus, notex hoc sibi Roma, vocatu.*

Iam mihi flagrantem Zelum, pater Albi, docentis  
 Exprime : nil vidi, nil audi vi ipsemet, omnia  
 Scripta probant monumenta viri, testesq; loquuntur  
 Qui vixere, aut nunc, raro sed nomine, vivunt.  
 Non ille induerat scholicas per densa tenebras  
 Vepreta incedens, nec crasse fœda vomebat.  
 Rudera Barbaria, quæ pulcris artibus uno  
 Impete in exilium pulsus ad summa volarat.  
 Pulpita : sed curvo poterat dignoscere rectum,  
 Atq; secare graves nodos, puroq; nitore,  
 Res bene prævisas facundâ promere linguâ,  
 Non in corticibus duris, nec in ossibus hærens,  
 Sed dulcem è fructu, gratumq; ex ossè medullam  
 Humorem, quo pasta animi mens sanior esset.  
 Tum demum cepere viri, quos navis obesa  
 Nemo notet vitio, nova spargere voce : Quid ille ?  
 Qui placet ? an refert, miranda audire tonantem ?  
 Hactenus humani speciosa inventa cerebri  
 Excolvisse juvet, si quid juvat : altius ille  
 Ingreditur, quin & caput inter nubila condit.  
 Has monstrat, sedes digito satis indice, sedes  
 Directo Christum digito designat ad unum.  
 Non aberit, quin dicta Papa, quin mordeat acta :  
 Omen inest : lingua est magnorum illi amulatum.  
 Talia sollicito non nemo pectore fatur.  
 Rem probat Eventus. Nimium Romana propago  
 Visa potens Jovæ, at sensim molimina magni  
 Sunt ponenda operis : proprio nisi lumine vates,  
 Ni videat, quid Roma domi, quid tractet ad aras,  
 Forsan detumeat torpenti frigore fervor.  
 Ergo lite orta in Monachorum corte Lutherus  
 Mittitur Ausoniam scitatum oracula ad Urbem.

An. 1511. vide  
Orat. Selnecc. de  
D. Luth. & Con-  
fess. A.

*Hic mores Cleri penitus perspexit; Jilum  
Clavigerum arma armis, gladium gladijsq; parantem.  
Scilicet id, seclum, quo simplicitate cluebat  
Pontifices docuit, series qui postera Patrum  
Non modò caelestes aperiret clavibus arces,  
Verùm etiam horrifico mucrone recluderet Orcum:  
Atq; Dei cultum, quantum vesana libido  
Vellet, ab ingenio cunctas mutaret in horas.  
Religio hæc, Tiberine pater, ea cura sacrorum  
Tunc viguit. Diè tu horrendum est, cum frater ad aras  
Devotâ faceret longaq; ambage Lutherus,  
Pelle moras Martine, aliquis truculentior infit,  
Pelle moras: jam terq; quaterq; hoc munus obire  
Crede mihi, poteram: Natum redhibito Parenti.  
Audijt iratus: patria mox cara revisit  
Limina, non rediturus eò, quâ regna Cupido,  
Martius atq; furor, tum detestanda teneret  
Impietas; ubi has præferrent turpiter aris.  
Vix redijt, decimo jam quando Academia vere  
Floreret: nullas potuitq; ut neçtere causas,  
Accipit invitus DOCTURÆ Insignia, magno  
Applausu Patrum, & comitatu ductus honoro.  
Nondum Bodstenius genio transversus ab atro  
Abreptus, sativæ vulgaverat impia vitæ  
Flabra, nec accensus damnato laudis amore  
Tartareæ princeps Sectæ gaudebat haberi:  
Ille igitur Monacho confert insignia nostro  
Doctoris. Quid ad hæc, Greflere patercule, grunnis?  
Doctor legitimo Martinus more creatus,  
Illo, quem jussit tribui Septemvir honorem,  
Dignus ovat: magnaq; adeò vipeçtora tollit  
Mystarum in numerum, fruges consumere natum.*

An. 1512. æt. an-  
no 29.

Andr. Boden-  
stein Carlstadius.

Vide Orationem  
Balduini de Do-  
ctoratu & Con-  
jugio Lutheri.

Hinc lacrymæ: Hinc suboles JESU mementita, Cicada  
 Vipereis caudis, ringuntur, & infima summis  
 Commiscent. Magna hæc: sed qua dicemus, [amabò  
 Durate, & rebus vosmet servate stupendis!]  
 Sunt longè majora. Obijt bellator JULUS,  
 Insequiturq; LEO, Medicaa stirpe resurgens.  
 Multa sub hoc memoranda dies detexit in orbe  
 Christiadùm, tardo quorum fatalia motu  
 Fila trahabantur; donec sua finis adesset  
 Prædictis-olim. Quid enim de Codice dicam,  
 Quo Servatoris, quo Magni oracula Pauli,  
 Quo Petri, juvenisq; tuis qui, Christe, quievit  
 Pectoribus, cum jam dulcem per vulnera mortem  
 Querebas, descripta, quid omni ætate futurum,  
 Ostendunt; quæ cana fides, verumq; pudorq;  
 In turpem conjecta fugam decedere querant:  
 In quorum subeant sedem fraudesq; doliq;  
 Tetra libido, & vis, & amor sceleratus habendi:  
 Atq; id in vrbe sacra septenis collibus, omnis  
 De cujus philtro mundi insonet angulus, Evan!  
 Longa nimis rerum est series: nos stricta sequemur.  
 HUSSUM quid referam, qui dum mysteria scortii  
 Detegit Italici, meruit neq; pondera terræ,  
 Nec liquidum: flammis meruit consumier ignis.  
 Ergo rogo impositus, quæ te Constantia Rhenus  
 Alluit, eloquio extremo sua guttura pandit,  
 Vaticinatioq; effert non vana oracula lingua:  
 Nunc Hussum assatis: (Hussus sonat ore Bohemo,  
 Quod Latiali, Anser:) sed post bis dena resurget  
 Lustra Labod: (Cygnæa Labod notat ora:) nec illum  
 Effera vis ignis poterit consumere, nec fraus.  
 Et Baptista fuit, calamo cui Curia tacta est

An. 1513. sic apud  
 Chytr. Saxon. l. 6.  
 p. 177.

Vide Osiand.  
Centur. 16. l. 1. c.  
7. 8. præf. Hun.  
super Artic. de  
Ecclesiæ &c.

*Pontificis : Baptista, dedit quem Mantua terris ;  
Eximius vates, sed non velut urbis honore ;  
Sic par Virgilio divinis munere vena.*

*Nec taceo te Bojaria quàm-nobile lumen ;  
Aventine ; petis putrido pro flumine Petri  
Lombardi, rivus Bibliorum haurire salubres.  
Nec Pice te Francisce Comes, tua vota tacebo ;  
Nec te Gaylerum, quem Argentoratus honorat.  
Andrea Proles, eadem te cura remorder.  
Hiltenius tetigit dictis veracibus annum.*

*Spes erat his cunctis, fore ut omnia rectius irent.*

*Tandem, quod proprium est Patri prælustri Olympi,*

*Vota audita virum gemitusq, precésq, Piorum.*

*Ergo L E O, quantum liquor omnidomantis Jæcchi  
Permisset, quantumq, nothos ditare, cupido,  
Illaq, de Christo tritissima fabula: ( Bembe*

*Tu nosti, has voces Sacrorum effundere Regem : )*

*Quantum, quos rubrâ placuit donare tiâra,*

*Terdeni jurvère, ( fores nam cardine strident : )*

*Enormes animum ad culpas Pater adjicit omnem.*

*Sit mihi fas comperta loquis non dissita regna*

*Eloquar, in nostris figam vestigia terris.*

*Tu Germane malum poterat patrare, quod unquam*

*Nulla ausa immanis natura fuisset : at aurum*

*Te poterat purgare iterum cælestibus aptum.*

*ALBERTUS, Princeps aliàs dexterrimus, istuc*

*Curat onus : Mogi Antistes nuperrimus : ergo*

*Romano jucunda & idonea spargere cælo*

*Sacra per invictam gentem Germanidos ora*

*Cogitat : ad numos mens est intenta sonoros.*

*Cautius hic animal, sediq, fidelius alta*

*Deerat adhuc, tum quod reliquis illudere posset.*

Vide Spec. Je-  
suit. Ursini Ap-  
pend. p. 252.

Tezelius prodit, sacco includendus ad Oenum  
 Olim, Saxonica preces sed servatus adulter.  
 Huic rabie fera corda tument, hic protinus omnem  
 Prodit voce famem, & quicquid furiosus, auri.  
 Ergo volate omnes, hic sunt venalia parvo  
 Ligna decussatim fabrefacta, insignibus illa  
 Ter sancti decorata Patris: vigor omnibus idem,  
 Omnibus hæc virtus, quam Servatoris & ipsa  
 Crux habuit. Magna est Divorum gratia, magna est,  
 Quam nunc conciliat toti, Indulgentia, mundo,  
 Teutonicæ in primis genti Sanctissimus. Euge!  
 Totn' animas, Christo quantum vis proximus esses,  
 Petre Evangelio poteras transmittere cælis?  
 Non ego crediderim: nostra Indulgentia, noster  
 Plus LEO, plus prestat trabeati in sede Quirini.  
 Hanc ego laudo viam, quæ ostendat sola salutem.  
 Quisquis es, hoc diploma pares: diploma paratum  
 Delebit scelus omne, mali contagia tollet  
 Omnia: nil reliquum est: Securæ cætera mittas.  
 Quin ubi massa sonat contactâ argentea capsâ,  
 Protinus immani fumosa anima exit ab igne,  
 Atq; vale reliquis pallentibus occinit umbris.  
 Deniq; qui dignus describi, quod malus, aut fur,  
 Aut mæchus timet, aut scarius, aut alioqui  
 Famosus, multâ cum libertate frequentet  
 Mercatum, numeresq; satis: numerata recoctum  
 Era novumq; dabunt. Quod si hæc blasphemia non est,  
 Quid tandem est aliud, clarò quod fulmina cælo  
 Eliciat? Noster ferat hæc portentosa Lutherus?  
 Auribus hæc aquis caperet? neq; plectrâ laborum  
 Rumperet, horrendis latius haud opponeret ausis?  
 Ergo quod esse bonum faustumq; volebat Jova,

Anno 1517.  
Impugnatio &  
expugnatio In-  
dulgentiarum.

*Incaluit fervore novo sanctissimus heros :  
Arripuitq; gravem telis arcuq; pharetram,  
Vespere, Sanctorum Legio quo tota frequenti  
Igne calet, Misseq; & mille piacula fervent.  
Tunc centum, quinis demtis, tela, ignea tela,  
Ignea, que nullo poterunt delerier avo  
Intorquet : mercem allatam Babylone renudat,  
Et que fraus passim monstrat, que insania regnet :  
Quam longè à Christi discedant omnia scito.  
Esse caput Christum: per mortes hoc caput unum  
Per pœnasq; decere sequi, noctemq; per Orci.  
Hic cantus CRGNI est, audisti hunc nobilis ANSER,  
Ante decem decades Phœbæa lampadis orbis.  
Ex illo furere, atq; athram confundere terris  
Te Zelius. Mogi Præsul tonat, omnia & unâ  
Lipsiaci, dein Marchiaci capita alta Lycæi  
Sevius angue micant: flammæ Vimpina minatur :  
Eccius ipse obelos parat, Eccius antè Patronus,  
Nunc causâ Christi multo insensissimus hostis.  
Nescio quis silvas inter, sphaeraa ferarum  
Nutritus Silvester, & Ochsenfurtius, & qui  
Hereticos runcabat agros Hochstratus: amarum  
Isti omnes magno insectantur crimina luctu.  
Stringuntur calami: dolet ire, occisaq; vota,  
Desertasq; queri capsas, sanctosq; relictos.  
Hactenus ingentis canimus præludia pugne,  
Voles ubi Lutherus erat, nondum omnibus aptus  
Telorum formis: nondum armatura crepabat  
Illa gravis: sed adhuc aliquid reverentia Roma  
Tardabat, pœnæq; metus, ne motus ab aris,  
Exclusus sano, aut diris addictus Averno,  
Degeret extorris, ceu vulsum à corpore membrum.*

Thesi 94. &c.

*Ergo se calamum premere, & sua guttura spondes  
 Velle, modò sacris staret victoria Dictis.  
 Nervus hic, immò ardens fax, gnara accendere Martem.  
 Fax primùm leviter quicquid comprehenderit, ambit,  
 Dum cortex lignorum obstat, dum crusta tigilli:  
 At postquam vires sensim quæsit vit eundo,  
 Non lambit, sed mordet, & interiora revellit:  
 Et volat ex imis properè ad fastigia tecti.  
 Tum vis nulla valet, longè lateq; repellit  
 Instantes: donec subsidant omnia fundo.  
 Sic verbum Domini; quod si in penetralia cordis  
 Ligneæ, si in fœnum conficti crustaq; cultus  
 Inciderit, passim populatur, & omnia sternit.  
 Expertæ est istuc Babylonica Thais abunde.  
 Hinc gemit, atq; hodie funesta incendia plorat.,  
 At nos latitiæ faciles laxamus habenas,  
 Jam quibus est firmata salus, centumq; per annos  
 Auspicio à parvo magna incrementa reportat.  
 Legimus Ilacidas, cum septenarius illis  
 Septimus annorum decurreret, esse sequenti  
 Jussos nil letas segetes curare, nec hortos:  
 Reddere cuiq; suam gentem, sua nomina, dotem:  
 Mancipium ut nullum, sed libera corpora tellus  
 Ferret: id ex camuris resonabant cornibus: unde  
 Nomina de Jobelis data sunt Jobelja Festo.  
 Hoc exantlatos revocabat nempè labores  
 Urbibus in Pharijs rigido sub rege dolentum;  
 Et libertatem partam duce Mose: peculi  
 Auctus è spolijs dominorum, terga prementum  
 Servilem in morem. Quin & Gentilia Christo  
 Ingenia haud addicta, addictum festa per orbem  
 Quolibet exacto seculo vulgare solebant:*

*Sigon. de Rep.  
 Hebr. l. 3. c. 15.*



Scal. l. 1. Poët. c.  
38. Iob. Rosin. l. 5.  
Antiquit. Rom. c.  
21. Alex. ab A-  
lex. l. 5. c. 26. &  
.6. c. 19. Horat.  
sarm. secul.

Ut pueri laudes Phœbo, innuptaq; puella  
Cantarent ter certa die ter nocte Dianæ  
Carmina pro Latio felice, & honore fideq;  
Quid nos Christiani facimus? Vidistis, & aure  
Hauistis, Iuvenes, Prasenti Ecclesia Festo  
Quâ prece, quo Zelo, quo deniq; more litârît:  
Restat, ut & Scholice vigeat sua pompa Cathedræ.  
Plaudite vos tenera, Lutherò plaudite Musæ!  
Ille DEI, quâ cuncta, fidelis in eade Minister,  
Dispulit & tenebras donatas luce corusca,  
Protulit & tabulas, monumenta in gloria verbi,  
Roma tibi, at nobis Germanis nobile donum.  
Plaudite vos tenera, Lutherò plaudite Musæ!  
Ille rudimenta & summarum lemmata rerum,  
Blandaq; de magnis selegit crustula libris.  
Hic sinus lactis: sinum puer atq; puella  
Haurito, dubias donec fas carpere cœnas.  
Plaudite vos tenera, Lutherò plaudite Musæ!  
Ut Lutherè tonas, cœlis adjunctus ab altis,  
Barbaries explosa fugit, sua pristina Musis  
Gratia, virgineus nitor, atq; corona reposta est:  
Graja cum Latij's veneres cõjêre Camœnis:  
Lingua polita, & mens exculta per aurea dicta est.  
Plaudite vos tenera, Lutherò plaudite Musæ!  
Multi istum periêre viri, qui Numina supra  
Exiulerat sese, pedibusq; admota potentum  
Labra eludebat: sed te, Lutherè, canente  
Classica, terrifico ruit impia sella tumultu:  
Lapsus hic Eois; & Iberis intonat oris,  
Quaq; fremit Boreas, quâ murmurat humidus Austër.  
Sic iuuet ô tenera Lutherò plaudere Musæ!

*Fila secuturo quòd si produxerit avo,  
 Si Patris aetherei poterit Clementia Mundo  
 Parcere, ne propro deterrimus ardeat igne.  
 Ne vè ruant elementa suis confusa lacunis,  
 & Aetheris aut moles, atq; hæc divina fatiscant  
 Corpora: tam lato Festum seclare recurfu  
 Intimet U L M A, precor: nostrisq; faventior actis,  
 Non minus ardenti promulges Iubila zelo.  
 Forsan erit, nostras quem commemorasse Camænae  
 Non etiam pigeat: cippo qui anathemata nostro  
 Suspendat: tenuemq; optet sine pondere terram,  
 Ambrosiasq; dapes, & in altis perpetuum Ver.*

**JESU** Chrifte Patris Nate invictissime summi,  
 Quem te, quem memorem? tu prima ab origine mundi  
 Ipse tuus præco legisti corpora, quæ te,  
 Quæ Patremq; tuum. noissent, & deniq; coelis  
 Illata, æternos agerent in pace triumphos.  
 Tu freudentem aprum, qui nil nisi spumat acerbos  
 Interitus Sanctorum, & quæ data porta, per hortos  
 Grassatur, glebamq; ruit, floremq; furenter  
 Sternit humi, validus vinculis & carcere frenas.

Tu quæ præterito in tetra caligine seclø  
 Torpebant, tua verba in clara luce reponis.  
 Jam vegeto fas est perfundi pectora succo:  
 Quando Evangelij Lutherus nectare cœpit  
 Omnigenos cœtus hominum recreare; sepultas  
 Quando acuit Leges, & Lex innotuit orbi,  
 Non illa, humanæ redolet quæ stercora testæ,  
 Sed quæ divinum pro ægrotis spargit odorem.  
 His etiam fruimur donis, (tua gratia Chrifte est:)  
 Vivimus hac quadra, nostriq; hæc summa peculij est.

Quem te, quem memorem? mea Jubila Jubila lingua;  
Jubila vestra edat Pueri, edat Jubila lingua!

Sic porrò nostris, & queis reverenter haberis  
Finibus, hæc propria esse jube. Cuncta illa senescunt,  
Quæ tenet hæc moles mundi, vitiumq; minantur:  
Sola tuo verbo prata irrorata vigescunt.

Sic porrò teneras artes permittite fideli  
CHRISTE, ministerio tractari, & pollice dextro:  
Barbara ne nostram corrumpant femina pubem.  
Sint Mecœnates, ut Flacci & deinde Marones  
Succrescant: donec superatis alpibus altis,  
Atque laboriferi penetrato tramite Mundi,  
Devenisse juvet, quæ cœrulus omnia splendor  
Purpureis vestit radijs. Hic nostra Camœna  
Hæret, & ô quondam feliciter hæreat, oro.

F I N I S.

